



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 8. Sancti Pauli oppidum in Guairania conditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

**I**N Guairania, ex præscripto Provincialis, Socii augere numerum oppidorum satagebant. Simon Maçeta, Divi Josephi colonie curâ alteri traditâ, in Inianenses primus movit. Inianenses populi sunt inter Incarnationis oppidum & magni Taiabæ terras, quatuor dierum intervallo, medii. Ex ea gente aliquot Casiquii ad Christophorum Mendocam, apud Nivatinguienses curantem, venerant, legis Christianæ candidatos se proficientes. In quorum comitatu Simon Maçeta, jubente Antonio Ruifio, instructus rebus ad fundandum novum oppidum idoneis, per scopulos & rupes adeo altas abruptasque iter habuit, ut necesse fuerit eum flexilibus ramis loco funium è sublimissimis locis in profundissimos hiatus demittere. Superatis viæ difficultatibus, locum futuræ colonie elegit; ad quam incolendam ex variis pagis, hortatu Casiquiorum, multi populi statim confluxere, longèque plures concurrissent, nî Guiravera, Casiquius potens, Antropophagorum atque incantatorum pessimus; injecto metu vicinos ditioni suæ populos retardasset; omnem præsertim conatum adhibens, quo Maçetam in casses suos pertractum partim ipse comederet, partim ejus furas, quas Antropophagi maxime in deliciis habent, pellicibus suis devorandas traderet: spargebatque in vulgus, ad suspicionem ingenerandam, Simonem Maçetam prodromum esse servitutis, quam hi aliquando servirent, qui se novis religionibus initiari permetterent. Sed de hoc hominis monstro plura inferius. Simonis tamen Maçetæ constantiâ octingentæ omnino familiæ Cathecumenorum albo inscriptæ sunt, ad quos reducendos non parum juvere sub terra auditi horridi clamores, & ferarum species nunquam visæ, quarum rerum aspectu audituque Indi (si iis credendum est) narrabant se compulsos ad oppidum; quod ab Simone Maçeta Divo Paulo ritè consecratum, id augmentum accepit, ut quater mille capita in eo censita sint. Sub initia foundationis, fame grassante, palmarum meditullis, fragis, & ejusmodi sylvarum reculis, Maçeta se sustentabat, cui longè gravior quavis fame erat solitudo, inter Barbaros invicem se comedere assuetos, furere nondum dedoctos, & suspicionibus depravatos. Evicit tamen, ne quis reductorum Baptismum renueret: quare aliquot centena capita statim sacro Fonte immerfa sunt. Sed longè major Religioni Christianæ accessio facta est, magno Taiabâ ad partes Christi traducto: res sic sese habuit.

**M**AGNUS Taiaboa (in cujus terris Antonium Ruifium Antropophagorum dentes fugâ vix evasisse, amissis septem comitibus, supra demonstravimus) Societatis famâ utcumque emollitus, binos è filiis in eumentita veste cum Maëndio Casiquio, ad Sancti Xaverii oppidum sub id tempus misit, exploraturos, num vera essent, quæ de Sociorum moribus circumferebantur. Hi complures dies in oppido clam commorati, tandem Francisco Diastanio ad Ibitirambetanos curanti, eorum servulo indicium dante, innotuere: qui eâ occasione in magnam spem veniens Taiabam devinciri posse, utrumque adolescentem & Maëndium honorificis titulis appellatos palam interrogat, quo animo venissent? candidè reponentes se ad explorandum Neophytorum nostrorum & Sacerdotum Christianorum mores ventitasse. Rursum percunctatur: qui sibi nova Religio placuisset? uno ore asserentes summopere placuisse, authoresque se Magno Taiabæ futuros Christianam Religionem in patriam recipiendi, elegantî veste donatos ad suos remittit. De qua re Antonius Ruifius per litteras ab Francisco Diastanio monitus, occasionem Fidei propagandæ arrepturus, magnis itineribus ad Divi Xaverii municipium properat. Promulgatâ expeditione, Neophyti magno numero comites sese obtulere. Sed delectu paucorum habito, magno animo se dat in viam. Magnus Taiaboa, explorato ejus adventu, quantâ potuit pompâ extra territorii sui fines obviam progressus, multa ubique erexit lætitiæ ostentamenta: qui simul ac in conspectum venit, in amplexum ruens. *En, inquit, ô Pater, en me in filium recipias, & quid me agere oporteat, doceas.* Ejus verò uxor, pati benevolentie significatione, tres filios pænè infantes obtulit, quos Ruifius magno animi affectu amplexatus, mirum quantum utrumque parentem sibi devinxerit. Nam Barbari nihil magis æstimant, quàm si conspexerint ab externis hominibus proles suas diligi. Inter mutua gratu-

CAPUT  
VIII.  
Sancti Pauli  
oppidum in  
Guairania  
conditur.

Itineris dif-  
ficultas.

Guiravera  
ferocitas.

Octingenta  
familiæ re-  
ducuntur.

CAPUT  
IX.  
In Taiabæ  
terris novi  
oppidi fun-  
damenta ja-  
ciuntur.

Taiabæ filii  
Societatis  
mores explo-  
rant.

Taiabæ An-  
tonium Rui-  
fium recipit.